



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 36. An & quale sit peccatum, si Religiosus Regulas sui Ordinis non observet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42521

quod se aliqui accusent, nihil concluditur, nam multi se acculant de meris imperfectionibus: deinde non potest ostendi lex ista imperans, à pari enim dicam esse peccatum non orare ante & post scholas, iusum, ambulationem & quodvis aliud à Deo acceptum donum vel beneficium.

314. Q. 36. An & quale sit peccatum, si Religiosus Regulas sui Ordinis non observet. R. Quamvis nulla ejusmodi Regula obligaret sub culpa, tamen propositum nullam ejusmodi Regulam observandi esse peccatum mortale, docet *Eliz.*, sed negat *Suar.*, quorum rationes utrimque retuli l. 4. à n. 58. Quod autem Religiosus per tale propositum peccet saltem venialiter, videtur certum, quis cum teneatur tendere ad perfectionem secundum statum suum, quem maximè ex parte constituit observantia Regularum tunc statui propriarum, si has negligat, negligit media optima ad perfectionem sibi præstitutam, nec ullum dari potest prudens motivum habendi tale propositum: imò docet *Dicast.* de Pœn. d. 9. n. 298., & doctè probat *Less.* in auct. v. Societati JESU cas. 1., singulas Regulas cujuscunque Ordinis vix posse violari sine peccato, quia in eo est saltem deordinatio, inquit *Suar.* de relig. t. 4. l. 1. c. 3. n. 11., quod membrum communitatis non conformet se toti: & qui ita transgreditur, ordinariè nimium servit suæ sensualitati, vel impatiens est circa disciplinam, aut accidiosus, aut nimium tenax proprii judicii, aut intercurrit alia imperfectio, à recta ratione, & consequenter à lege æternæ Dei difformis.